



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

25 De aliis quasi contractibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

nōn posse. *I. Si negotia ff. de nego. gest. si minus, cum posse.* Sequitur ex dictis. Vt si quis gerens negotium alterius, faciat impensas inanes, aut superfluas, sibi imputare debeat: nec tenetur Dominus rei absens eas soluere. *I. Si quis alienum ff. De negotijs gestis.*

Dubium quartum, quid sit dicendum, si quis gratis, animo liberali, aut studio pietatis, charitatis & misericordiae expendat aliquid in negotio gerendo alterius, & in bonum illius, an postea possit voluntate mutata exigere, aut sibi sumere secreto ex bonis alterius compensationem eius, quod expendit? Respondetur, si reuera expendit intuitu elemosynae, pietatis, & charitatis, aut quomodocumque gratis, animo liberali, non posse exigere, aut compensationem sibi sumere, quia eo ipso gratis donauit, quod expendit, & consequenter non potest pretium exigere. Et ex hoc iudicari potest quid sit dicendum in multis casibus. V. g. quando parentes alimenta praebent filiis habentibus bona, ex quibus alii commodè possent. Item quando aui alii non possunt, & aluntur à nepote: Item cum frater alii fratrem, vel sororem, vel parentes: Item cum cognatus, siue pupillus alii suum propinquum: Item cum Dominus alii suum famulum & rotum: Item cum amicus gerit negotium sui amici. In his omnibus & similibus considerandum est, Primum, an huiusmodi alimenta, obsequia, vel officia sint iure charitatis, misericordiae, vel pietatis debita: tunc enim cum gratis debeant impendi, censentur gratis exhibita. V. g. si is, qui alitur, nulla bona habet, ex quibus possit alii. Si tamen habeat, tunc considerandum est secundo, an is, qui huiusmodi officia praestitit, gratis omnimodò fecerit, & tunc nihil potest exigere. An vero fecerit, animo compensationem exigendi, & tunc, cum gratis non fecerit, potest exigere id, quod expendit. In dubio utem quando non constat animus, huiusmodi officia praestantis, nimirum, quando sumus dubij gratis fecerit, necne, tunc ex circumstantiis res est iudicanda, nam si Titius alii Caium, cum tamen apud se Caius, habeat bona Titij, ex quibus possit commodè alii, iudicandum est, Caium non impendisse alimenta Titio gratis, sed voluisse eum alere ex bonis ipsius, quae apud se habebat. Item est notandum, quotiescumque quis habet animum gerendi negotium alterius gratis, interim dum non incipit negotium gerere, potest mutare animum, ita ut nolit negotium gerere gratis: qua intentione mutata, poterit postea aliquid accipere, cum negotium gesserit, quia gratis non gessit, & licet potuit animum reuocare. Imo etiam si coeperit ex parte negotium gerere gratis, & deinde mutato animo, reliquum gesserit ex intentione aliquid accipiendi, & non gratis, poterit postea aliquid accipere ob negotium ex parte gestum, non gratis: non tamen poterit licet aliquid accipere ob eam partem negotij, quam gessit gratis: quod si in totum negotium gessit gratis, nihil potest postea accipere, quia suam operam alteri praestitit gratis, & liberaliter.

De tribus alijs quasi contractibus.

CAPVT XXV.

SE C V N D O, Quasi contractus ponitur in *Instit. de oblig. qua ex quasi contractu nascuntur, §. Tutores.* nam inter tutorem, & pupillum, & inter curatorem, & minorem non est contractus, sed quasi contractus, consequenter, tutor, vel curator obligatur ad damnum secutum in bonis pupilli, vel minoris ex dolo, vel lata culpa, vel leui. *I. quidquid, C. arbitrium tutela.*

Tertio, quasi contractus ponitur in eodem titulo. *§. Item si inter,* nimirum, quando aliqui absque villo contractu societatis inito habent rem aliquam communem, ut puta hereditatem ex testamento relictam, vel ex rem ex legato, aut donatione acceptam, tunc si alter fructus percipiat, tenetur dimidiam partem alteri dare, deductis expensis, non quidem ex contractu, cum nullus inter eos praecesserit, sed ex quasi contractu, nimirum ex communiione bonorum. Item si alter eorum in re illa impensas fecerit necessarias,

vel viles, tenetur alter dimidiam partem expensatum soluere, tenetur ex dolo, lata, & leui culpa.

Quartus quasi contractus ponitur in eodem titulo. *§. Haeres quoque, nimirum,* quando aliquis adit hereditatem, & eam accepta, & ratam habet, eo ipso tenetur ad legata soluenda legataris, & ad soluenda debita creditoribus, quae contractat defunctus. Et non tenetur ex contractu, sed ex quasi contractu, quia representat personam mortui: tenetur ex dolo, & lata culpa, & leui.

De quasi contractu indebiti soluti.

CAPVT XXVI.

QUINTVS quasi contractus habetur in eodem titulo. *§. Item is,* nimirum quando quis errore soluit, quod non debet: nam eo ipso habet actionem condicendi, id est, repetendi indebitum solutum, non quidem ex vi contractus, cum nullus praecesserit inter dan. eum, & accipientem, & solvens potius intendebat obligationem dissoluere, quam contrahere, dicitur lib. 12. extat lib. 6. *De condictione indebiti,* & in C. lib. 4. est titu. 6. *De condictione indebiti:* est igitur indebitum, quando quis per errorem, vel ignorantiam soluit alteri, quod non debet. Dicitur (soluere,) quia haec obligatio restituendi solutum indebitum, non oritur, nisi solutio re ipsa interueniat, & ideo est quasi contractus, cuius obligatio re contrahitur. Dicitur, (per errorem, vel ignorantiam,) quia si quis sciens soluat indebitum, eo ipso videtur donare, & ideo non potest repetere. Si quis, quid, si quis soluat indebitum, cum dubio, & incerto sit animo? Respondetur, cum habere actionem repetendi. In iure enim dubium errant similis esse dicitur. *I. in C. De condictione indebiti.*

Notandum est, in *Instit. tit. Quibus modis re contrahatur obligatio, §. Is quoque.* Indebitum numerari inter contractus, qui re contrahuntur, sed in *l. Ex maleficio, §. Is quoque ff. De actione oblig.* numeratur inter quasi contractus, licet etiam numeratur in *Instit. De oblig. qua ex quasi contractu nascuntur, §. Item is.* Dicendum igitur est, hanc obligationem non nasci ex contractu, sed ex quasi contractu: nam, qui per errorem soluit, non soluit ex consensu scito, ut requiritur ad contractus, & magis distrahenda obligationis animo, quam contrahenda dare videtur, ut dicitur in *l. De maleficio citata.* Et *Instit. Quibus modis re contrahatur obligatio* numeratur inter contractus, qui re contrahuntur, non eo fine, ut contractus esse dicatur, sed ut sciatur, eius obligationem non nasci, nisi res interueniat, non quod sit contractus. Itē in hoc quasi indebiti contractu, non solum ius civile, sed etiam naturale inducit naturalem obligationem, ut restituatur id, quod indebitè solutum est. Item ex hoc quasi contractu nascitur actio, quae in iure vocatur condictio indebiti, qua quis repetit id, quod ei indebitè solutum: & datur huiusmodi actio ei, qui indebitè soluit contra eum, cui indebitè solutum est, & haeredibus ipsius contra eum, cui solutum est indebitum, & contra eius haeres.

Ponitur cessare haec actio indebiti multis modis: Primum quum, quis sciens soluit indebitum. *I. Cuius per errorem, ff. De reg. iur.* Secundò, cum quis per sententiam condemnatus est ad soluendum, quod non debet, & sententia transiit in rem iudicatam. *I. C. De Condictio. indebiti.* Hic tamen modus habet vim in foro exteriori, in quo non datur actio, ut quis repetat, non autem in foro conscientiae, quia sententia tantum est in praesumptione fundata: leges autem, & sententiae in praesumptione solum fundatae, non habent obligandi in conscientia. Tertio repeti prohibetur, quod causa pietatis solutum est. *I. Cum ius ff. de condictione indebiti.* Quarto, quod est solutum ex causa, unde licet crescit in iustitia. *I. l. in qua. C. De condictione indebiti.* Quintò, quod causa transactionis solutum est ob iuramentum. *Instit. de Act. l. Item si quis, §. l. Attorator, §. l. Non postea ff. De iur. iur. Postremo, si sit alio debitum, licet is, qui soluit non debeat, si modo nomine debitoris solutus sit. *I. Repetitio, ff. De condictione. Hos modos numerat, Glossa in l. C. De condictione indebiti.**

Finis Libri vni decimi.